



Antiquae Lectionis Tomus ...

Bipartitus, In Quo L. Vetera Monumenta, Nunquam Visa, Pauculis Exceptis -
Quorum Catalogum versa pagina indicat

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1604

18. Euanthi Abbatis Epistola.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-64177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64177)

EPISTOLA
EVANTI
ABBATIS

Contra

Eos, qui sanguinem animalium immundum esse iudicant, & carnem mundam esse dicunt,

Nunc primum edita ex mss. membranis S. Galli.



Aaaa

Ad



Ad Lectorem.

Quis hic Euanus, vel Euanus? an Euan-
 tius, de quo mentionem facit Fortunatus
 lib. 3. Epist. ad Euphronium, qui & Euan-
 tius & Auentius nominatur? Christophorus
 Brovverus in optimis suis notis illum Euanum
 Fortunati, putat fuisse Viennensem Episcopum,
 quem lib. 8. c. 39. diem obiisse testatur Gregorius
 anno vndecimo regni Childeberti Austrasiorum.
 Celebrat eum ceu sanctum, Ado in temporum
 lib. ætate 6. & Philippi successorem; aitque cum
 Prisco & Artennio Senonum, Remigio Bitun-
 gum, & cum aliis sanctis Episcopis, viginti cap-
 tula Ecclesiastica perfectè roborasse. Quæ de
 synodo secunda Matiscone collecta, Guntrami
 regis auctoritate seu diligentia, Baronius ad an-
 num Christi 538. rectè obseruauit accipienda,
 Tom. 2. Concil. Gregor. lib. 8. c. 7.
 An noster Euanus vel Euanus iste est?

6A

EUA

IN-

INCIPIT EPISTOLA EVAN-
 ti Abbatis, contra eos, qui sanguinem anima-
 lium immundum esse iudicant, & car-
 nem mundam esse dicunt.



Via se præbuit occasio opportuna, idèd haec exiguitatis
 meæ paginulam vestris obtutibus perferendam mea cu-
 ranti declinare miseria; per quam & salutis munia im-
 pèsius pandò, & me sacris vestris orationibus tuendum
 committo. His* explosis, ad agnitionem nostram venit,
 quòd exsurgentes in quibusdam CÆsar Avgvstæ partibus reperisse
 vos adseritis CHRISTIANOS, nec dum eruditos* paginibus sacris. Iu-
 daico more sequi litteram occidentem, & postponere spiritum viuifi-
 cantem, qui dicunt immundum fieri hominem alicuius animalis
 sanguinem comedentem. nescientes, neque intelligentes præcepta
 prisca magis mores hominum demonstrare, quàm in natura seruare.
 Nam si ista ita sunt, quur aperta fronte cum IVDÆIS & alia quæ vetita
 sunt præcepta prisca legis carnaliter non teneant, nescio. carnes suil-
 las vel cuniculinas non abiciunt, qui piscium carnes pinnulis ca-
 rentium non reprobant; qui vetera sacrificia non immolant; qui vxor-
 em fratris sine filiis morientem ad suscitandum semen eius non acci-
 piunt; aut ad sacerdotium debiles corpore, aut aliqua macula corporis
 sordentem, qui tamen animo digni videntur accedere, non re-
 pudiant; qui paxillos in balteis nõ gestant, vt egesta humo* operiant.
 Quur autem cum pullis inuentam, si possunt, tenent, & non, sicut
 præceptum est, tenentes pullos, matrem sinunt abire? Quur etiam o-
 tium Sabbati cum IVDÆIS non* sectant, & nouam gratiam EVANGE-
 LII absterfo rubore CHRISTIANITATIS non abiciunt? Nam in
 CHRIS TI nomine* frontis & fidei CHRISTIANÆ effecti, & san-
 guinem comedendum CHRISTIANOS apertè docemus, & à san-
 guinis opera declinare omnes* hortamur. Carnes suillas edere con-
 cedimus, & à volutabro vitiorum recedere omnis modis optamus. Pi-
 sces* pinnulis carentes manducare permitimus; & tamcñ ad cœlestia
 nulla

Aaaa 2

quali

** m. / fa-
cerdotes
c. debiles,*

*Psal. 31. 1.
Rom. 4. 7.*

** m. / siu ca-
mones ha-
bere.*

** m. / an-
quos cano-
nes ista
repperisur
1. Cor. 3.
Ab. 15.*

Tit. 2. 15.

2. Tim. 4. 4.

Mat. 17.

Ab. 15.

1. Cor. 3.

quasi alas habentes conuolare fideles omnes optamus. * Sacerdotibus corpore debilibus, vel macula corporis habentibus liber PASTORALIS S. GREGORII legatur. quia nobis longum est plurima enotare. Paxillo egesta humo operire est, cum mala perpetrata bonis operibus infudando foetores carnalium voluptatum opprimimus. de quibus scriptum est: Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum recta sunt peccata. Matrem cum pullis inuentam abire sinimus, & pullos tenemus, cum testimonia ex lege excerpta ad refutandos Inuidios atque haereticos tenemus, & legi carnaliter non seruimus. Oritur Sabbati negligimus, quia propter illam futuram requiem, quam illud Sabbatum figurat, ut ad illam perueniamus, legem Domini spiritaliter intelligendo decertamus. Quod si forte obiciunt, istam in canonicis haberi. Nec ego me ista fateor ignorare. sed in antiquis canonicis ista reperiuntur, quando ecclesia ex circumcisione & praepitio ad fidem congregabatur; quando adhuc non solido cibo, sed lacte nutriebatur. Tale quid ad Corinthios Apostolos dixisse noverint. & in Actibus Apostolorum facta inuenient. Nunc vero ecclesia Desolido cibo fide roborata consistit, ut viriliter contra impetum haereticorum pugnet, non in infantium mollitie eneruata succumbat.

Ne tamen epistularis consuetudo in longinquas periodos pertracta lectoribus lepidis fastidium nutriat; veniant ad illud, quod Apostolus ait: Omnia munda mundis. Coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum. Et in alio loco idem Apostolus ait: Omnis creatura Dei bona, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Et Saluator in Euangelio ait: Nihil est introiens in hominem, quod possit coinquinare eum; quia omne, quod in os intrat in ventrem vadit, & in secessum emittitur, nec haec coinquinant hominem, sed quae de corde procedunt; de corde enim procedunt adulteria, homicidia & his similia. Nam quod Apostoli primitiue ecclesiae a fornicatione, & a suffocato, & a sanguine abstinere praeeperunt, haec extitit causa tunc ex circumcisione, & gentibus credentes congregabantur, ne propter discretionem ciborum a se inuicem scinderentur. ideo lacte nutriebantur, non solido cibo. quibus & postea scribebat, dicens: Non potui loqui vobis quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, tanquam paruulis in Christo. lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis. sed nec adhuc quidem potestis. adhuc enim estis carnales. Nam si vbiunque sanguinem legunt prohibentur; & hoc ad litteram intelligunt; & nihil spiritaliter hoc dictum putant;

tant; quid est, quod Propheta dicit: speculatorem dedi te domui Itra-
 el? Si non annunciaris impio, vt se custodiat ab iniquitate sua, ipse
 impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem eius de manu
 tua requiram. Quis est iste sanguis, nisi opera sanguinis? Quid est in
 Psalmo, vbi dicit: Libera me de viris sanguinum; nisi ab operibus in-
 iquitatis? Et quid est, quod alius Propheta dicit: sanguis sanguinem
 tetigit: propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat
 in ea?

Quod tria ista praecepta ex libro Actuum Apostolorum tenere
 gloriantur, id est, abstinere à suffocato, & sanguine, vel fornicatione:
 confiteantur; si primum & secundum cum tertio implent, id est, si nō
 fornicantur, si aucupum ministeriis non vtuntur, si audiunt Aposto-
 lum dicentem: qui habent vxores, tanquam non habentes sint. si o-
 bediunt praecepto eius, vbi ait: Bonum est non manducare carnem,
 & non bibere vinum. Si consentiunt, quod eis praecepit: imitato-
 res mei estote, sicut & ego Christi. si faciunt: quod idem Apostolus
 dicit: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. ne forte aliis
 praeedicans, ipse reprobus inueniar. Si faciunt, quod intonat: Exhibe-
 te vos sicut Dei ministros, in multa patientia, in castitate, in vigiliis,
 in ieiuniis, & his similia, vnde peccatum non incurrant. sed cum grati-
 arum actione, quae Deus bona creauit, sumerent. Quasi enim Aposto-
 lis obediens à duobus abstinent, à suffocato, & sanguine; & tertium
 praeceptum, quod grauius peccatum est, dissimulantes abiiciunt, & ne-
 gligunt: caelestia iussa, & ceremonias enormiter perhorrescunt. Tali-
 bus Saluator in Euangelio dicit: Vae vobis hypocritae, qui decimatis
 mentam, & anetum, & cuminum; & ea, quae legis sunt grauiora, com-
 mittitis. Quid multa? legant libros Doctorum, & maxime S. Augu-
 stini contra Faustum, Manichaeum, in quo ista, quae isti euacuant, &
 faciebant, & dicebant, & secum illos victos erubescant. nam & librū
 S. Hieronymi contra Donatianum legant, & salutem suam ibi repe-
 riant Nam ridiculum est, carnes mundas, quas Deus creauit, vsq; ad
 nauseam deuorare, & sanguinem illarum carniū, quasi immundum
 respicere. Quasi Deus carnem creauerit immundam, & sanguinem
 carniū, qui vtiq; nutrimentum & salus carnis est, fecerit immun-
 dum. Alia scribere debui, sed cui modica vtilia non sufficiunt, nec plu-
 rima proderunt. Absit à fidelium cordibus, vt ista carnaliter intelli-
 gentes, à sinu matris Ecclesiae discedant, & se cum taliter credentibus
 gehennae ignibus tradant.

Alf. 17.

1. Cor. 7. 19
 Rom. 14. 21

1. Cor. 11. 1
 1. Cor. 9. 27

1. Cor. 6. 6

m. 1. e. ca-
 lestia iussa
 nere ener-
 uiter per-
 orrescunt.
 Mat. 23. 23



HOCH
N
S
Z

Faint, illegible text on the right page, likely bleed-through from the reverse side.